

Nemo quippe charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus cum transitoria deserens ad cor redeo, sicut scriptum est: Redite prævicatorēs ad cor, etc.» Quando igitur tibi ipsi vel proximo tuo habes succurrere, tunc venit ad te amicus de via, et monet ut Christum adeas pro subsidio.

III. Cur pro uno amico tres panes mutuo petit? «Quid est quod amicum unum perhibet advenisse, (ait S. Bern. serm. in rogat. de tribus panibus) nec tamen contentus est quærere panem unum? Putasne tam voracem æstimabat amicum, ut non posset uni sufficere panis unus? Respondetque: Puta ergo cum uxore et mancipio hominem advenisse, ut suum cuique panem apponere velit amicus. Per virum intelligit rationem deficientem præ ignorantia veritatis, per uxorem, voluntatem languentem præ inedia affectionis, per mancipium, carnem infirmatam præ inopia fortitudinis. Comoda ergo mihi, amice, inquit tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem.» Sic ille. Sed hæc et similes aliorum expositiones mysticæ sunt. Mihi videtur hic Dominus insinuare voluisse, exercendam esse hospitalitatem, et quidem liberaliter cum aliquo dispendio, sic enim et Abraham, cum tres angelos hospitio exceperisset, festinavit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: *Accelera, tria sata simila comisce et fac subcinericios panes.* Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerimum et optimum, deditque puero coquendum, Gen. XVIII. Sic Christus ita suos pavit convivas, ut modo septem, modo duodecim cophini superessent. Eandem ergo liberalitatem exhibere convenit, pauperibus præsertim et religiosis, quia sub eorum persona Christus pascitur et recipitur.

IV. Quid est, quod foris orat et in via publica? (Siquidem rogatus de intus respondet ad existentem foris) cum vero tradat hic Dominus rationem orandi, et alibi dixerit: *Cum oraveris intra in cubiculum tuum, etc.* Mat. VI. cur inducit hunc orantem foris in platea? Respondetur in cubiculo orandum, pro majori collectione et excitanda devotione, et quasi in platea orandum, pro majori reverentia. Hinc optime dixit Seneca, ep. X. cum ait: *Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat. Sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.* Etenim sæpenumero tam parum reverenter loquimur cum Deo, ut sic loqui cum homine non auderemus; et confunderemur si pateret illis nostra distractio et irreverentia ac cogitationes impertinentissimæ, quibus sub oratione distinemur. Vicissim si ad Deum omnia cernentem oculos converteremus, quando cum hominibus agimus, quam caute ageremus et provide? Quare Seneca, epist. cit. ait: «Nihil

Deum roges, nisi quod rogare non possis palam. Nunc enim quanta est dementia hominum? Turpissima vota diis insurrant: si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant.» Hinc fortasse veteres opem implorantes in foro sedebant, teste Pierio, l. XLIII. hierogl.

V. Quid sibi vult illud amici respondentis in persona Dei: *Noli mihi molestus esse?* Num enim Deo molesta est nostra deprecatio? Minime gentium: sed hoc verbo, primo, magis excitare voluit affectum nostrum ad rogandum instantius: sicut cum mater filio roganti primo abnuat postulatum, ut magis eum rogare faciat. Sic respondit Chananaea: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel,* non ut a se repelleret, sed ut magis ad orandum impelleret. Hominibus quidem molesti sumus, cum multa et crebro ab eis petimus, sed Deo contra molesti sumus, quando parum aut raro ab eo petimus. Sic enim Isa. VII. cum juberet Deus petere regem Achaz signum sive in cælo sursum, sive in inferno deorsum, et ipse petere nollet, Isaias respondit: *Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo?* Quare sicut filius ægrotans molestus est parentibus, quando non explicat ægritudinem suam, nec postulat medelam: ita Deo etiam molesti sunt, qui nihil ab ipso petunt. Licet enim ipse sciat quid nobis desit, vult tamen a nobis rogari et quidem propter bonum nostrum, ut alibi diximus. Vult ergo Dominus dicere nunquam sibi importunas esse preces nostras, quandocumque et quotiescumque deferantur. Eodem spectat, quod sequitur: *Jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili.* Vult enim dicere: Licet ergo differam concedere quod petitur, et videar id negaturus: licet in cælo quietus regnem cum electis meis, et existimer negligere viventes, volo nihilominus ut pulsando instetis, quia vos audiam tandem. *Non dormit profecto, nec dormitat Dominus, qui custodit Israel:* describitur tamen velut dormiens quia multis hominibus talis existimatur, dum necessitates et afflictiones honorum, libidinem vero et prosperitatem malorum videre se dissimulat. Sed suo tempore excitabitur et vindictam sumet de malis, liberabit vero bonos, sicut Psal. LXXVII. dicitur de punitione Philistinorum, qui postquam aliquamdiu permissi sunt affligere Hebræos, tunc: *Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino, et percussit inimicos suos in posteriora,* id est, in secretiori parte natium, ut simul cruciarentur dolore et pudore, quemadmodum legitur, l. Reg. V.

Secundo, hoc verbo insinuare videtur, non tam cito ac facile audiri a Deo illos qui non nisi

in nocte tribulationis et adversitatis veniunt ad Deum, sicut audiuntur qui de die etiam prosperitatis veniunt. Ita enim regulus ille, qui non nisi oī necessitatem, filii nimirum desiderati ægritudine compulsus ad Christum oraturus venit, audivit: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis;* et iteratè pulsare sinitur, nec ad primam petitionem statim auditur, Joan. IV. Sumus enim nos fere instar fontis illius qui *fons solis* dicitur in Cyrenaica provincia, et teste Mela, l. 1. c. IV. de nocte fervet, de die friget. Sic enim nos in die prosperitatis a Deo fugiemus et tepescimus; in nocte vero adversitatis ad Deum accedimus et amore ejus incalescimus.

VI. Quid illud: *Si vos, cum sitis mali, etc.* Numquid omnes mali sumus? Respondeo primo, nos malos esse et jure sic vocatos qui ob naturam per peccatum in Adamo corruptam, ad malum propensi: duri et difficiles sumus ad exaudiendum eos, qui aliquid a nobis petunt, et proprio tantum amori studemus. Vult ergo dicere Dominus: Si vos qui ex vitio naturæ corruptæ tam amantes vestri estis, et tam difficiles ad surgendum causa alterius et tribuendum, nihilominus filiis vestris nostris bona dare et non mala: quanto magis Pater noster cælestis, qui natura sua benignissimus et ad benefaciendum propensissimus est, dabit vobis spiritum bonum etc.

Secundo, mali sumus comparati cum Deo, qui ex se solus est bonus, Luc. XVIII. *Nemo bonus nisi solus Deus,* ait Dominus. Nos autem participatione tantum et quasi ex mendicatione. Sicut ergo omne lucidum coram sole evanescit, et comparatione ejus obscurum videtur: sic omnis nostra justitia cum divina comparata, malitia reputatur.

VII. Quid sibi vult crebro illa ad orandum incitatio: *Petite et accipietis, quærite et invenietis,*

pulsate et aperietur vobis? Respondetur primo, indicare maximam nostram et extremam, in qua versamur, necessitatem, quos tam anxie Christus jubet petere. Hanc si non cognoscemus per nosmetipsos ad eum cureremus: sicut cum vim morbi sentimus, medicum mox quærimus. At quia non cognoscimus, ideoque tam sollicitè stimulat nos Christus qui videt infirmitates et miserias nostras. Sic cum quis homicidio facto salvare se et fugere differt, monetur ab amicis, ut currat ad asylum et fores ejus instanter pulset: ne a licitoribus insequentibus deprehendatur. Et tamen adhuc tam multi sunt, qui orandi studium sibi necessarium non putant, et multis sæpe diebus abstinere oratione possunt. De quorum desperatione merito timeri potest; non enim difficile eos assequetur tartareus ille licitor et in vincula sua trahet. Horum typus erant filii Jacob, parum de pane solliciti etiam tempore famis. Unde increpans eos pater ait: *Quare negligitis? (Hebr. ut quid vos ipsi aspicitis) audivi quod triticum venderetur in Egypto. Descendite et emite nobis necessaria ut possimus vivere,* Gen. XLII.

Secundo, ostendere nobis Dei benignitatem et munificentiam, qui tam serio nos jubet instare orationi. Quomodo enim non paratissimus, imo obligatus est, ad largiendum, qui tam multis verbis invitat ad petendum? Alexander Severus imp. amicos et bene de se meritos, etiam invitabat ad petendum, et uni eorum dicebat: *Quid est, quod nihil petis? An me vis tibi fieri debitorem? Pete, ne sit quod privatus de me querare,* Lamprid. Sed longe major est Dei nostri munificentia, qui omnes omnino invitat et instigat ad petendum. Ergo, auditores, sine hæsitacione vel timore accedite ad Dominum: *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

MODUS ORANDI.

I. Vide quis tu, qui rogas. — II. Quem rogas. — III. Quid rogas,

THEMA.

Petite et dabitur vobis. Luc. XI.

Videmus, auditores, instrumentales musicos priusquam ludere incipiant fidibus, accommodare et concordare instrumenta sua, ne alioquin

inconcinno tone audientium aures feriant. Oratio instrumentum quoddam musicum est, quo Dei aures permulcere intendimus. Hinc David in suis psalmis toties adhibet citharam suæ orationi: *Confitebor tibi in cithara: psallam tibi in cithara, etc.* Verum ne Dei aures cantu nostro offendamus accommodata est prius cithara et componenda oratio, ut suis constet numeris. Ita, sane monet Eccl. c. XVIII. dicens: *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi qui tentat Deum.* Tentat etenim Deum, qui insulsum

ipsi aliquid caneret, ut per hoc cœleste donum ab eo impetraret, quasi surdastro ludens eum vellet deridere. Itaque videndum, ut priusquam oramus, quomodo orandum sit, intelligamus. Quod hic exponemus.

D. Chrysost. *hom. IX.* ex variis in Matth. locis præparationem istam explicat dicens: *Scriptum est: Ante orationem præpara animam tuam. Quid est ante orationem præpara te ipsum, nisi expoliatus cogitatione prava sic accedas ad Dominicam orationem? Et mox: Ergo vide quis rogas, quid rogas, quem rogas. Quis? Homo. Quid? Indulgentiam. Quem? Deum.*

Ante omnia ergo vult, ut exuamus pravæ cogitationes præcedentium scilicet actionum et cogitationum nostrarum. Sicut enim horda citharæ vel alterius instrumenti musici digito mota, diu resonat, donec rursus digito facta compescatur: ita præcedentes nostræ actiones et cogitationes relinquunt in mente nostra tinnitum aliquem cogitationis aut facti præcedentis, quæ per novam aliam cogitationem comprimi debet, ne consequentem orationem tinnitu suo turbet. Hoc vel ipsi gentiles intellexerunt qui proinde hoc adagio, quod Plutarchus Numæ regi adseribit, utebantur: *Adoraturi sedeant, significantes eos, qui rebus divinis vacant, vacante animo debere et uni Deo attentos esse.* Hebræis hoc idem insinuat Deus, jussit ad Deum accessuros, exuere calceos, uti Moysen, *Exod. III.* Josuen, *Jos. V.* quod adhuc faciunt Saraceni et Turcæ templum ingressuri. Quid autem calcei nisi impuræ et terrenæ cogitationes, concinnatæ ex pellibus mortuorum animalium, h. e. reliquiis et curis mortalium rerum? Nos Christiani adoraturi in templo, prius aqua lustrali, ad limen templi nos aspergimus: ut ea partim terrenas cogitationes abstergamus, partim dæmonis insidias pellamus, partim baptismi nostri memores, mentem in Deum elevemus. Denique, in hunc finem, quoties sacerdos in templo orationem inchoat, præmittit verbum *oremus*; quo præsentium animos excitet, et mentem a terrenis avocatum in Deum elevet. Hoc præmisso:

I. Cogitandum primo, quis tu, qui oras? *Homo*, inquit, Chrysost. *cit.* Homo dictus ab homo. Terra cœlum, homo Deum alloquitur, quanta ergo submissione Deus in oratione appellandus est? Ac nisi hæc adsit, nemo orare facile præsumat. Docuit hoc Abraham, *Gen. XVIII.* Deum alloquens: *Quia semel capî, loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis.* Quid hoc est dicere? *Loquar ad cœlum quia terra sum? Ad Dominum cœli et terræ, quia pulvis sum?* Respondet Philo, *lib. Quis rer. div. sit hæc. Tunc enim tempus est, ut creatura suum creato-*

rem appellat, quando agnoscit quam ipsa sit nihil. Hoc ergo requirit Deus ab orante, ut se nihil esse agnoscat, terram et pulverem norit. Quod si nos mendicantes, qui se nobilem jactaret ac simul divitem reputaret, nullo modo audiremus: si requirimus, ut mendicantiam suam miseriam agnoscat, et demisse petant, nec facile damus iis, qui paulo honestius vestiti sunt aut frigide petunt; quid putatis, a nobis requirit Deus? Hinc sponsæ, *Cant. I.* ait sponsus: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, q. d. si putas te esse tam pulchram, et ignoras tuam vilitatem, abi hinc ad bruta animalia, quibus te similem esse scias; non egres opus mea, vel potius non es digna. Sic fere Augustin. de unit. *Ecl. I.* XIV. cap. XVI. mor. XII. Bern. in *Cant. XXV.* seq. Hinc ergo edocta sponsa paulo post subdit: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea a d. odorem suavitatis, h. e. dum Dei Filius, sponsus meus, recumberet in sinu Patris, accessit cum nardo humilitatis (nardus enim herba humilis et despecta est, grati tamen odoris) et tunc odore gratissimo perfudit nares ejus: ut exponit S. Bernard. serm. XXV. Jam si Abraham Deo tam charus et divino alloquio dignus habitus, si ipsa sponsa, sine humilitate loqui Deo non audeat, quomodo audebit homo peccator?**

Sed mirabitur aliquis, cur Abraham in medio primum colloquio se cinerem agnoscat, ac profiteatur, et non initio. Cui respondet D. Gregor. XVIII. *moral. c. XXXIII.* « Sancti omnes quando in Dei visione proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem et pulverem se esse professus est, nisi cum habere meruit Dei collocationem, etc. » Nos ergo quia longe distamus a Deo, Deique cognitione; ideo magnifice de nobis sentimus: sicut rusticus paulo ditior in pago, magnum se esse reputat; at ubi arcem nobilis domini intravit, negligi se videbit et vix æstimari; ubi ad aulam imperatoris venerit, plane nihil se intelliget, nec respici a quoquam, imo nec tolerari. Sic et nos quo altius in oratione ab Deum ascendimus, eo viliores nos agnoscimus.

II. Quem? Deum. Nomen Dei deducunt aliqui, quod *timorem*: alii a verbo, quod significat *nosco* aut *scio*. Magna ergo cum reverentia ad orationem accedendum, magno cum timore ad divinam majestatem nos undique circumspicientem, et oculos sole splendidiore defixos in nos habentem. Si enim ad reges et principes verba facturi sæpe obmutescunt, majestate, vultu et sapientia eorum territi: quem non terreat ipsius Dei præsentia? Esther sane Assuetorum allocutura, splendente ejus vultu adeo per-

territa est, ut ante eum corrueret, *Esth. XV.* Regina Saba coram Salomone stans vidensque ejus majestatem ac sapientiam, non habebat ultra spiritum, *III. Regum X.* Si ergo reginæ coram regibus stantes animo linquntur, ob eorum conspectum majestate plenum; quomodo nos homunculi coram Deo possumus adstare? Salomon ut accessuris ad se timorem ac reverentiam injiceret, posuit juxta thronum suum leones fictos duos juxta manus singulas, et in sex gradibus, per quos adeundus erat, utrinque sex leunculos, adeoque leunculos duodecim inter quos ascendendum erat supplicantiibus, ut ibidem habetur. Si ad regem mortalem ita accedendum, tantoque cum timore ei loquendum erat; quid non requiret Deus immortalis? Sane ipsi Seraphini summi angeli coram Dei majestate facies suas alis velabant, *Isa. VI.* quasi eos vilitatis suæ puderet, ut ait Sanctus Chrysost. quid nos homunculos facere oportet?

III. Quid? *Indulgentiam*, ait Chrysostom. Bonum postulatum. Verum nos pro tempore alia indicamus. Gilimer Wandalorum rex in monte Papua præruptissimo juxta Hipponem a duce Phara inclusus, cum esset in angustiis misso ad Pharam tabellario, tria ut sibi mittere vellet, petiit: panem, spongiam et citharam. Panem, quod diu nullum vidisset, ex quo Carthagine excedisset: spongiam qua lacrymas abstergeret: citharam ad decantandas suas miserias et fallendum tempus. Hæc cum audisset Pharas, gravi dolore motus ac humanæ fortunæ ludibria subsannans, omnia ei misit, *Procop. lib. IV. Wandal. et Cædren.* Nos in hac lacrymarum valle inclusi, quid aliud a Deo petamus, quam hæc tria?

Primo, panem: *Qui replet mentem, non qui ventrem*, inquit Chrysostomus, loco citato. Quamquam uterque peti potest, ille tamen potior est: panis inquam verbi Dei et eucharistiæ, ut ibid. exponit Chrysostomus. Sed quid opus petere, cum uterque ad nauseam pene passim nobis offeratur? Orandum ergo potius ut dignetur nobis Deus appetitum et famem spirituales illorum panum dare. Constat infirmos, ubi cibum omnem aversari incipiunt, morti appropinquare. Idem dicendum de iis, qui verbi Dei et s. eucharistiæ nausea laborant. Sic enim Eliu amicus Job ait: *Abominabilis ei fit in vita sua panis et anima illius cibis ante desiderabilis tabescit caro ejus, ossa quæ tecta erant nudabuntur: appropinquavit corruptioni animo ejus et vita illius mortiferis, Job XXXIII.* Attingit ad ægrotum, qui jam respuit omnia, unde concidit ejus caro, ossa prominent, cadunt vires, et permittuntur ipsi a medico noxia quæque, uti fruges, vinum, aqua, quia desperatur. Idem contingit spiritualiter iis, qui nauseant cibos illos spirituales: perdunt

enim vires animæ, et devorant mortifera quæque nullo prohibente, et bibunt, quasi aquam iniquitatem. Senserunt in deserto Hebræi, et quidem bis cum nauseam ceperunt cœlestis illius manna. Primo enim, *Num. XI.* puniti sunt plaga ignis, secundo rursus nauseantes multati sunt serpentibus ignitis, *Num. XXI.* Adde si quis putat se omni tribulatione carere, petendum ipsi esse panem tribulationis. Sic enim Hebræis præcepit Deus, ut septem diebus comederent panes azy-mos, *Exod. XII.* qui *Deut. XVI.* vocantur *panes afflictionis* quia insipidi erant, ut insinuaret Christianis, eis tota vita comedendum panem tribulationis, si in terram promissionis pervenire velint. Hoc pane sustentatus fuit Michæas in carcere, *pane inquam tribulationis et aqua angustiarum, III. Regum ult.* Hoc cibus in exilio S. Silverius Pp. scribit: *Sustentor pane tribulationis et aqua angustiarum, nec tamen dimitto officium meum.* Hic promittitur, *Isa. XX. Dabit vobis Dominus panem arctum et aquam brevem.* Scimus enim abundantiam et saturitatem panis perdidisse Sodomam, *Ezech. XVI.* Panis ergo, hoc est, victus moderatus salubrior est; qualem petiit Jacob: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, etc. Gen. XX.*

Secundo, spongiam ad tergendas lacrymas. Hæc autem quid nisi patientia? Abstergit enim lacrymas patientia, cum speratur ejus fructus. Non ergo petendum est, ut non lacrymemur, nec tribulemur; sed ut lacrymas nostras abstergere possimus spongia patientiæ, quæ eas absorbeat. Stulti illi Judæi, illudentes Christo crucifixo, stulte argumentati sunt, ipsum non esse Filium Dei, quia a Patre derelictus, a cruce non liberaretur. Contra sapienter latro bonus e contrario collegit ipsum esse Dei Filium, quod a Patre derelictus, et in manibus inimicorum positus, mira tamen patientia omnia sustineret. Sic in Tobia cæco erraverunt ejus cognati, stulte colligentes spem ejus vanam esse, quod cæcitate tactus esset, *Tob. II.* cum ex ejus patientia contrarium colligere deberent; juxta id Raphaelis: *Quia acceptus eras Deo necesse fuit, ut tentatio probaret te, Tob. XII.* « Sic arbores ipsæ, inquit S. Hieronymus, in epist. ad virginem quamdam in exilium missam, tom. IX. tanto numerosiore gravantur fructu, quanta acerbioris frigoris violentia reprimuntur. Cum præcoces flores opportuna castigatio refrænando, ad periculum festinare non patitur, utile impedimentum pruinae: et quod reprimi, non obfoeat sed includit. » Itaque serum Dei in tribulatione auxilium, dilecti sui virtutum flores non obfoeat, sed includit: ut majori postea fructu foras erumpant. Nam: *Si (ut Hieron. subdit ibidem) Paulo clementior vis extiterit imbrium, quanto luxuriant prius indisci-*

planta festinatione, tanto post fructibus deserunt, cum futura vires impotente tempore consumuntur. Non ergo cito eripia tribulatione optandum, sed ut eam diu cum patientia sustinere valeamus, precandum est.

Tertio, citharam ad decantandas nostras miserias; ita mirum ut in tribulatione præter patientiam sentiamus etiam gaudium et hilaritatem. Gaudium hoc precatur Raphael Tobiae in ejus cæcitate dicens: *Gaudium tibi sit semper*, Tob. V. Sed forte quærat aliquis cum Tobia: *Quare gaudium mihi, qui in tenebris sedeo ut lumen cæli non video?* Respondeo: Quomodo gaudent et cantant agricolæ, cum arant semina in agros spargunt? Quomodo gaudent jubilantque milites, cum eis civitas oppugnanda et diripienda traditur? Etcum non oblatrant canes, sed exultant potius cum ossibus impetuntur? Sanctus Bernardus, ser. de tribulationibus, tom. III. talem hujus rei similitudinem proponit. Fuerunt duo sub pœna mille aureorum vel certe mortis sustinendæ missi in carcerem: quibus a pio viro duæ bursæ, totidem aureis plane, injectæ sunt in carcerem per fenestram, non sine aliquantula ipsorum læsione, incidentibus bursis in capita eorum. Qua re indignatus alter, ictum se dolens, bursam extra fenestram in projectorem rejecit: alter vero bursam sibi adjectam tollens et perlustrans, invenit inibi tantum auri, quantum ipse pro redemptione sua requirebat. Hic ergo ex ictu minime dolens, sed vehementer gaudens, dat aurum debitoribus et se a morte liberat. Omnes nos debitores sumus divinæ justitiæ. Deus igitur ex occulto injicit nobis tribulationis bursam, auro remunerationis plenam, qua dissolvere debita nostra non difficile possimus. Jam vero qui tribulationem excutit persuaum impatientiam, ictum quidem sustinet, nec tamen se liberat. Atqui tribulationis fructum considerans, eam libens amplectitur, a morte se eripit. Hinc ergo S. Jacobus, cap. 1. scribere suis non dubitavit: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; sciens quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet.* Perfectum quia mercedem suam in tuto collocatam. Agricola seminans et miles pugnas fraudari possunt spe sua: patientia vero minime, quia repositam habet in cælo coronam suam. Videbantur fratres Josephi depressisse fratrem suum, cum in cisternam deposuerunt ac vendiderunt, revera tamen exaltarunt potius, dando ei occasionem ut princeps illorum fieret. Propterea ipsis postea plurima benevolentie signa exhibuit, quasi gratia agens pro sua depressione. Putarunt etiam fratres Athenaidis illius, quæ postea Endoxia imperatrix Theodosii junioris conjux facta est, sororem se

depressisse, cum e domo et hæreditate ejecerunt revera tamen exaltarunt, dum eo pacto occasio ei fuerunt, ut imperatrix fieret: præter quod ipsa fratribus postea maximas egit gratias, Cyprian. in Theodos.

Quare, auditores, citharcedos imitemur, et priusquam oramus, orationis nostræ citharam bene concinnemus, ne Deum quem placare querimus, potius iritemus, dum quid insulsam canimus. Exemplo et documento nobis sit Aman, qui reginam pro sua vita rogaturus, quia eam, quam debebat, decentiam et diligentiam non adhibuit, cadens rusticano more superlectulum reginæ, in ea ipsa petitione mortem invenit: *Videns enim rex Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, jussit eodem illum in ligno suspendi, quod paraverat Mardocheo.* Paranda igitur est, cum oramus, anima, nec temere ad summam majestatem effundendæ preces, nec indignationem pro benevolentia, justitiam pro misericordia, mortem reperiamus pro vita.

CONCIO II.

ORATIONIS DEFECTUS ET CONDITIONES.

I. Habeat caput. — II. Habeat cor, seu fiduciam. — III. Habeat pedes.

THEMA.

Quis vestrum habebit amicum et ibit ad illum media nocte? Luc. XI.

Designarunt aliquando Romani, teste Plutarcho, Trajani imp. præceptore (in Catone) ad pacem inter patrem et filium componendam, tres legatos in Bithyniam; quorum unus caput habebat vulneribus confossum, alter veordia laborabat, tertius podagra. Visis his legatis Cato censor Rom. dixit populi Rom. legationem nec caput, nec cor, nec pedes habere. Timeo, auditores, ne et nos multoties similem legationem ad Deum instituamus. Legatio nostra oratio est, de qua David, Psalm. LXXXVII. *Intret in conspectu tuo oratio mea.* In quem locum S. August. ait: *Mira virtus orationis, quæ illuc intrat ad Deum, quo caro pervenire nequit.* Verum legationem hanc tam misere sæpe instituimus, ut et capite et corde et pedibus carere videatur. Quo casu varum utique sperare eventu ejus possumus. Quare acincasum et ad derisum nostrum orationem emittamus, videamus quomodo ea constituta esse debeat.

I. Habeat caput et primo, attentionem, ita ut caput hoc non sit concisum variis vulnerum cicatricibus, id est, variis cogitationibus ad rem non pertinentibus. Ut enim vulnera et cicatrices dehonstant faciem, ita cogitationes impertinen-

tes ad orationem. Et hoc si voluntarie admittantur. Nam si strenue relucteris, ea non deformabitur. Ergo sicut Hebræi templum et murum Jerosolymæ reedificantes, adversante Sanaballat una manu gladium ad pugnandum, altera trullam ad struendum tenebant; ita nos una manu gladium, luctando contra evaginationes mentis, altera orando rosarium teneamus, II. Esdr. IV. Itaque valebit talis oratio, si non ut oratio, saltem ut luctatio.

Secundo, prudentiam in petendo; ne petat aliquid stultum vel puerile. Stultum quid petit Diogenes, quando oblata sibi Alexandri M. munificentia, ut peteret gratiam, quacumque opus haberet, nihil aliud petiit, quam ut a se recederet, ne solem sibi auferret, Plat. in Alexandro. Atqui hoc sane perquam multi faciunt. Ne fluxu aliquo temporalium bonorum fomento priventur, petunt Christum a se recedere, qui gratiam eis offert, qua ad finem convertantur, vel ab aliis peccatis resipiscant: offert vero per confessarios, concionatores, libros, etc. Tales fuerunt Geraseni illi, Luc. VIII. quos ad finem vocaturus Dominus curavit primo duos eorum energumenos, curaturus omnes. Sed cum viderunt ejectos demones corripuisse eorum porcos et in mare demersisse, rogaverunt eum, discederet ab eis. O stulti? Ubi caput vestrum? Itane pluris aestimatis porcos, quam animas vestras? Dæmonesne mavultis, quam medicum animarum, Christum? Ita sane multi rogant: Sine me in mea fide Lutherana mori. Noli me urgere in meis doloribus, negotiis, deliciis ad confessionem. Non jam vacat mihi. Sine me gaudere bonis hujus vite, pascere et depascere porcos meos: ne mihi immittas crucem aliquam, etc.

II. Habet cor, id est animum seu fiduciam. Hanc enim si non habeat, nihil efficit: sicut Esau exauditus a patre non fuit, quia de ejus voluntate dubitavit, Gen. XXVII. *Num unam tantum benedictionem habet?* ut vult S. Bern. De talibus dicitur Ose. VII. *Factus est Ephraim (Israelitæ) quasi columba seducta non habens cor: Ægyptum invocant, ad Assyrios abierunt,* q. d. sicut columbæ facile a suo domino et columbariis recedunt, et jungunt se alienis columbarum gregibus nunc huic, nunc illi; sic populus meus, me derelicto, opem nunc Ægyptiorum, nunc Assyriorum imploravit in suis necessitatibus. Idcirco desertus etiam a Deo est, quia non habuit cor, id est, fiduciam in Deum suum. Æger deseritur a medico quando is, quia non statim primo curatur pharmaco, alium atque alium advocat, et si ipsi non statim curant, imperitorum etiam consilio utitur; fare autem deseritur, quia medicum spernit, dum nullam in eo confidentiam habet. Et nonne multo, magis ad injuriam patris,

cedet, si filius ei diffidat; maxime vero omnium ad injuriam Dei, si diffidat homo? Hinc enim Christus in hod. evangelio posuit parabolam, quæ fiduciam nostram erga Deum maximam excitare debet: *Quis ex vobis patrem petit panem numquid lapidem dabit illi?* Cur pater non det filio? Et quidem panem? Unde Chrysostomus, hom. XXIV. in c. VII. Matth. in hunc locum: *Et tu igitur, ait, ista considerans, non desistas, ne recedas, nec omnino abeas, quousque clausa reserentur.* Si enim tu hoc studio mentis accesseris et dixeris: *Nisi accipio non recedam, prorsus accipiet.* Tali resolutione armatus Tobias junior cum Saram peteret uxorem, dixit ejus patri: *Hic hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes et promittas mihi dare Saram filiam tuam,* Tobie VII. Ita enim obtinuit. Non aliter Paulus simplex, cum et a S. Antonio dæmoniacus oblatus esset, ut eum liberet, nec tamen dæmon recedere vellet, dixit ei: *Aut exhibis, aut abeo ut id dicam Christo, isque faciet ut sit tibi v. Cumque dæmon: Non exhibo diceret, abiit et in ipso meridiei aestu regionis calidissimæ stetit supra petram tamquam columna et sic orabat Christum: Tu vides Jesu Christe, qui fuisti crucifixus sub Pontio Pilato, me non descensurum ex hac petra, neque esurum neque bibiturum donec moriar nisi me nunc audieris et hunc dæmonem ab homine ejeceris.* Adhuc eo loquente exclamat dæmon: *Recedo, vi expellor, nec amplius regredior.* Palladius, in historia Laus. c. XXVIII.

Sed quomodo acquirendum tale cor? Respondeo si fuerit mundum a peccati affectu; hæc enim mundities mater et origo animosi cordis, seu fiduciæ est teste Joanne, ep. 1. cap. III. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus accipiemus ab eo.* Diffidit enim, ait S. Gregorius, X. mora. XV. *accipere se posse: quod appetit, qui profecto reminiscitur nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit: et cur nos in potione reprehendit, cum resistere præceptis ejus quem postulat meminit.* Si enim conscientia te convincat; quod tu non audias Deum, quomodo te audiet Deus? Igitur accessuri ad orationem cor nostrum expurgare ab omni pravo et hostili erga Deum affectu laboremus. Hinc locuturus Deus populo et traditurus legem mandavit ut prius sanctificarent et laverent vestimenta, nec uxoris appropinquarent, nec jumenta ad montem admitterent, et quidem sub pœna lapidationis aut confossionis, Exod. XIX. ut interiorem munditiam accessuris ad Deum per externam illam inculcarent. Quin et olim: *In nonnullis Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant, quomodo manus loti, candidis induti vesti-*